Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 339

Quelle:
Copyright:

maximo sane sumtu adornatum; ut enim delineatoris ars infra commendationem sit, auri tamen impensa vis, et colorum vigor in admirationem rapiat, oportet. Totum folium *primum* aversum Creator occupat crure circini uno in terrae centro defixo altero universam creationem obiens. In ora supera folii litera quadrata caeruleo rubroque alternante legitur: *Ici. Crie. Dex.* (ita semper pro *Dieu*) *Ciel. Et. Terre. Soleil. Et. Lune. Et. Toz. Elemenz.* Stratum sive fundus totus hujus Picturae auro levigato lucet, id, quod de omnibus etiam reliquis Picturis velim intelligi. Harum porro sequens est ratio. Pagina quaevis bina serie Icones majores orbiculatas octo exhibet ita, ut in quaque serie quatuor sint ad perpendiculum; intervalla autem quindecim minoribus quadratis Angelorum πεζοτομας referentibus impleantur. Utrinque, ut dixi, angusta columna Textus ab elegante manu scriptus intercipitur, totumque a margine deaurato, picturatoque cingitur. Icones igitur trium millium numerum excedunt. Verum quid jam iis designatur? Prior semper Factum aliquod historicum e Vet. Testamento, nullo adeo servato Librorum ordine, repraesentat, subsequens Factum istud ad aliquam allegoriam trahit. Adscribam Textus priorum IV. Iconum: 1) *Ici depart Dex le ior de la nujt.* 2) *La clartei del ior senefie la clartei des angles et de sainte eglise.* 3) *Ici depart dex la terre de la mer. et garnist la terre darbres et doiseax. et la mer de poissons de gros et de meninz.* 4) *La terre senefie sainte eglise. li oisel senefient les diuerses genz del monde qui acrochent sainte eglise. li gros poisson senefie les gros usuriers qui mainiuent* (mangent?) *les petiz ce sunt la pouure gent.* Multa per decursum piae simplicitatis offerri specimina, nemo dubitabit. Ita Biga Iconum a fine *octava* Levitam e *Judic.* C. 20. uxoris membra per XII. Tribus dispertientem proponit cum addito: *Ici uient li Dyakenes* (Diaconus pro Levita) *et fet de sa fame XII. parties. et les enuoe per XII. messages as XII. lignies.* Dein proponit Senes duos, qui libros distribuunt, et ita allegoriam explicat: *Ce que li Dyakenes depieca sa fame en XII. parties et les enuoa par XII. messages a XII. lignies. ce senefie iereume et augustin. qui baillerent a XII. patriarches les XII. uolumes por porter les as XII. Apostles.* In hoc Idiomate vetusto, unde non pauca γλωσσηματα enotari possent, hodiernum *gallicum* et *hispanicum*, velut in cunis, videmus; orbiculata vero Paginarum dispositio facile admonet Fenestrarum ἐγκαυστως pictarum, quibus vel hodie Templa quaedam ornata sunt, aliis in Curiosorum Musea receptis. Quod si Codex ad exemplar ejusmodi Vitrorum accommodatus fuerit, multo antiquiorem illam Artem esse oportet, quam quidem Scriptores adserunt. Secus dicam, ideam Fenestrarum illarum a Codicibus desum-